



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 127. Consilium Papæ de Ferraria rursum obsidenda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

pæ postulatis cessit; cum vero Fabricium Columnam cum quadringentis lanceariis accurrere intellexisset, abjecta omni concordiae spe errorem suum agnovit, moxque Pontifex eidem significari jussit, se nunquam concordiam initurum, saltem nisi Galli haud ultra se Ferrariae Duci patrocinatorum sponderent; cum vero Galliciarum Rex hujus Ducis partes tueri statuisset, Ciamontius præcipiti fuga Crispolano excessit, suasque copias æquis partibus Regiensi, Ruberianæ Saxulensi, Formicanæ, & Monsequiensi urbibus imposuit, tegens fugæ suæ ignominiam specioso submissionis prætextu, quam erga Cæsaris, Arragoniæ, ac Angliæ Legatos Gallici exercitus discessum instanter sollicitantes profiteretur.

Sæcul. XVI.

A.C. 1510

Ferron. in

Lud. II.

Raynald. hoc

ann. n. 23.

§. CXXVII.

*Consilium Papæ de Ferraria rursus obsidenda.*

Jamjam Mensis November incæperat, atque hyemis asperitas tentoria figendi opportunitatem denegabat; unde Cardinales bellicis expeditionibus finem imponi, Papam impense rogabant, veriti, ne in simile discrimen, quod ægre paulo ante eluctati essent, denuo inciderent, nec

Guicc. l. 9.

*Hist. Eccles. Tom. XXXII. M. de-*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1510. deerant Medici, qui Pontifici gravius infirmæ valetudinis suæ periculum exponerent, sui que corporis vires novis belli laboribus impares esse affirmarent. Verum Julius successuum prosperitate flecti nescius, adeo horum rationibus non cessit, ut etiam in Ludovicum ira incensus, non nisi prælia, atque obsidiones meditaretur, declarans, omnino velle se, Ferrariam deferri; ergo iter agredientem copię sequuntur, invitis licet non modo ducebibus, sed ipsis etiam militibus. Venetorum Respublica ad hanc expeditionem non nisi mediam exercitus sui partem, ductore Mantuano Marchione, submisit, ceterorum absentiam excusans, eo quod assiduis belli laboribus fracti, ad reparandas vires saltem aliquot dierum quietem deposcerent. Interea Marchio cum suis copiis vix non totam urbem cinxit; ast diuturnæ captivitatis suæ a Venetis perpeffæ injuriam haud oblitus, accepto nuncio, Palisium cum Veronensi præsidio in Mantuanam ditionem populabundum excurrisset, mox a Paulo Capello tum Venetiarum Provisore, ut cum Reipublicæ exercitu patriæ suæ succurrere posset, veniam petiit, obtinuitque, ac ipsemet Pontifex ex Provisoris suasu, Marchionis discessum ratum habuit, proin altera jam vice Ferrariæ obsidionem solvit.

Post

Post hæc Pontifex Ferraria Saxulum delatus, urbem occupavit, illius Præfectorum ad primum ferme Papæ adventum deditioem faciente, nec Formicana civitas diu oppugnantium impetus sustinuit: Igitur Julius hac victoria auctus, Ferrariam reverti meditatur; at Cardinalis Papiensis arcta amicitia huic Duci junctus, contempto fortis suæ periculo Julio exposuit, urbem nunc validiori longe præsidio, ac priorum obsidionum tempore, munitam esse, proin Papam abs dubio operam perditurum, hinc eum consultius acturum, si alterius cujusdam urbis expugnationem tentaret, ubi minus periculum, majorisque commodi spes esset: copias ergo suas potius Mirandulanæ & Concordiensi urbibus admoveret, ut aditu hac ex parte in Mediolori Ducatum aperto, usque ad interiora regionis nemine obsistente penetrare valeret. Placuit Pontifici Cardinalis consilium, urbs quoque Concordiensis mox deditioem leges accepit, cum a civibus sustinendæ obsidioni præcautum non fuisset. Hujus urbis Principem Papa, ut securius obrueret, paulo ante datis hanc in rem specialibus literis in fidem suam recepit.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1510.